



**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola XVIII. Ivstvs Baronivs Veteracastrensis Thomæ Bozio Evgvbino  
clariss Theologo, Congregat. Oratorij Presbytero S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

## EPISTOLA XVIII.

*IVSTVS BARONIVS VETERA-*  
*castrensis*

THOMÆ BOZIO E VGVBINO  
clariss<sup>o</sup> Theologo, Congregat. Orato-  
rij Presbytero S.

**N**il mihi iucundius est, *Clariss<sup>e</sup> Bozzi*,  
quam ex quo tempore te cæterosque  
Oratori patres, doctissimos sane illos & hu-  
manissimos, cognoui, totum vestrum & es-  
se & videri. Plurimum me affecit humani-  
tas vestra, auxit eruditio, pietas informauit,  
zelus denique Catholicæ religionis mirifi-  
cè confirmauit, cuius ego sic totus sum,  
quam totus vester, atque eius, qui<sup>a</sup> non *1 Pet. 1. 18.*  
*sed sanguine. Illmo Baro-* <sup>b</sup>  
*nio meo animam debeo, cui hoc vnum al-*  
*laboro, gratitudinem meam aliquo argu-*  
*mento approbem. Facite & vos quæso, vi-*  
*deat optimus Cardinalis. non immemorem*  
*planè aut degenerem se clientem adopta-*  
*re. Nomen eius perpetuus mihi ad virtu-*  
*tem stimulus est, tantus, quantæ ad conni-*  
*tendum animi corporisq; vires. Neq; mi*  
*hi propterea bellus videor, vt<sup>b</sup> *S. Hieronymus**  
*cuidam illudit, quia fausto vocor nomine: sed*  
*ideò me fausto vocatum nomine existimo,*  
*vt bellus esse connitar. Sed ad te redeo mi*

<sup>b</sup> Hieron.  
Epist. 100.  
ad Bonan-  
sum.

T Bozzi,

*Bozzi*, quem sincerè diligo & admiror, nec minus eruditissimos Collegas tuos, *Flaminium*, *Gallonium*, *Petrum*, & quem neutquam ultimo loco nominatum oportuit, *Franciscum* fratrem tuum, quem cum cæteris amantissimè à me saluere volo.

De itineris mei successu, certè illo, laus superis, felicissimo, iam iam ad Mœcenates scribo. Cognoscite. Vnum est quod te scire refert, opellam meam *III<sup>mo</sup>* nunc Archiepiscopo nostro addiccam, ideoque *Bambergen-sibus* gratias agendas. Noui apud nos nihil est, nisi quod *Anglo Caluinianum* quendam in me, (me vero, imo magnos illos signiferos nostros, *Baronium*, *Bellarminum*, *Stapletonum*, &c) insurgere audio. Quid hominis sit, scire video. Euomuit iam aliâs horrendas satis in Ecclesiam, ut *Idolatriæ* scilicet deditam, blasphemias, arque vnuis ex illis est, qui in Ecclesia nati & educati, cunctorū tamen more eā tractant, atq; instar mulorum vberibus matris recalcitrant. *Wilhelmus* vester *Perseus* ad vnguem nouit hominem, sinite eum suis coloribus depingat. Mihi lectionis aliquantum habere, malitiæ verò & calumniæ serpentem intimo pectore alere videtur. Sed qualis quantusque sit, farragines eius plenius breui testabuntur. Tu Vale mi *Bozzi* atque incudem *Annalium* tuorum indefessus tunde. Mognunt. Prid. Idus Decembris. M. DCII.

EPI-